QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS,

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM
die Iovis 31. Decembris,

M. MARTINO AKAKIA,
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ineunte febre continuâ, unà sævo dolore ventris, opij usus phlebotomiæ præferendus.

I.

FEBRIS nativi caloris morbus est, qui è blando & miti in igneum conversus, primùm in corde accenditur; mox in universum corpus effusus, partium omnium actiones, paucorum dierum curriculo corrumpit. Calor is si plures persistat dies, nec ullis intervallis distinguatur, continuam parit, mitiorem, graviorem pro succorum varietate, qui in venis effervescentes, varium toto corpore commovent incendium. Sanguis à molli tepore longè levissimum calorem exsuscitat; si putrescat paulo acriorem accendit: pituitæ non acris admodum, sed fumosus & halituosus tangenti primùm occurrit, posteà mordacior apparet: melancholici succi exardescit magis. biliosus humor acerrimo calore insignis est. Omnem illum calorem nemo medicus artis consultus neglectis contemptísque principibus remediis, solis alterantibus fucare tentaverit, sordentibus per initia morbi visceribus nutritiis. Sed imitabitur naturæ modum, quæ nonnunquam die critico, quo tempore corpus dolere, æstuare, uri

maximè videri poteſt, multâ ſanguinis è venis narium, ſedis, uteri effuſione, incendij fomitem fœliciter abſcindit.

I I.

VBI primùm laceſſere febris incipit, quandóque nullis, quandóque gravioribus ſymptomatis eſt comitata; puta vomitu, animi deliquio, capitis artuúmve dolore, ventris ſæpiſſime, eóque peracerbo, mezenterium quippe quaſi ſentina totius corporis, venis & arteriis, quibus innumeris contextum eſt, meantium & remeantium ſuccorum illuviem omnem excipit; hinc ſæpe cauſa doloris, quando humores ibi deliteſcentes, accedente febris ardore commoti, ad vicinas membranas pelluntur; plerúmque incandeſcente viſcerum, aliarúmve partium ſanguine inflammatio tenſióque magna exoritur. vel bilis & ſerum in venis innatâ mobilitate, fervoréque febris agitata multo impetu ad inteſtina ruunt; quorum cæcis vaſorum anfractibus clauſa, dum tunicas eorum, vel copiâ diſtendunt, vel acrimoniâ mordent, immanes dolores exſuſcitant. hos ſolo ſtuporem inducente medicamento mitigare religio eſt. ne eò defixi humores poſteà caput efferant, ægrúmque jactent vehementiùs, & fuſi attenuatíque, quemadmodum fieri amat in colicis affectibus, dorſi dolores committant, aut paralyſim generent, vel ad articulos tranſmiſſi, arthritidem.

I I I.

PAPAVERUM lachryma liquórve gummeus, vulnere aut ſpontè è capitibus eorum exudans, opium eſt. Meconium, ſuccus è totâ plantâ expreſſus. Illud rarius, & officinis ignotum ferè; hoc uſitatum magis. utrúmque quibuſdam diverſarum partium, calidum & frigidum. manſum enim os urit, mentem percellit, turbulenta parit inſomnia, martem, & venerem accendit, ſtuporem & interitum accerſit. Inde cum ex contrariis ac repugnantibus inter ſe naturæ viribus conflatum videatur, anceps medicamentum eſt, infidum, fallax, quod & vetabitur ſemper, & retinebitur. Superat tamen in illo calor; & in ardore ſummo, ac intolerabili cruciatu, neglectis potioribus auxiliis, ſolùm exhi-

bere periculi plenum existit. auget quippe præfervidam viscerum intemperiem, vitiosos humores doloris parentes coërcet; & ut eum minuat, curatu tamen difficilem affectum reddit; partes siquidem omnes ad sensum & motum torpidiores factas, excrementis, quæ excutere nequeunt, tandem opprimit, vel rejectis ad ipsa præcordia saniosis & dolorificis humoribus, non leve periculnm principibus partibus ingenerat.

I V.

FEBRIS continuæ curatio, ut & doloris sedatio, egregiè sanguinis missione perficitur. Cædendæ præcipuè eæ venæ sunt, quæ amplæ & expeditæ, non procul remotæ ab illis partibus quæ dolore afficiuntur, ut ijs calore febrili æstuantibus, promptissimè refrigerij plurimùm accedat, humoris dolorem efficientis multum evacuetur, unáque pendentibus inde variis symptomatis strenuè succurratur. Vnde si quæ subest visceribus nutritiis inflammatio, facile extinguitur, fervor ebullientis sanguinis mitigatur, ab educto multo sanguine, toto corpore non leviter refrigerato, nullo etiam suppressionis metu serosi biliosique humoris, qui aluinæ regionis partibus negotium facit, nullóque refluxus periculo, qui imminet à remediis narcoticis. Concitatam enim fluxionem arcet, & revellit; humorum acrimoniam contemperat, & delinit, dolorem mulcet, fomitémque & lares ipsius exhaurit. ejus in febribus administratio nunquam intempestua, nequaquam molesta. nimirum in unâ venæ sectione, tot insunt virtutes, medicamento narcotico denegatæ. Nullum enim sedando dolori præsidium memorari potest præsentius, seu refrigerare volueris, seu materiam doloris rescindere, si ad animi deliquium usque perseveret.

V.

HINC longè securior est omni narcotico medicamento, ineunte cum febre dolore, phlebotomiæ ratio. quæ etsi vilissima videri queat, & vulgo notissima; in eâ tamen summa medicinæ vis atque dignitas elucescit: ut quæ multorum auxiliorum loco, cum morbo pugnet, vitiosos humores revellat, eva-

cuet, adeo ut quæ corpus nostrum regit facultas ea oneris parte levata, doloris si quæ superest materiam facilè queat emendare. adulantium medicorum, & auram popularem captantium panacæa est meconium; quod plerúmque nullo indicationum ductu, neque accuratè perspectâ ejusdem vi peruiciosâ usurpatur: ut solent ij, qui in ipso febrilis exacerbationis principio, tussis sedandæ causa id exhibent; cujus tunc temporis eventus fœlix, cum ad miraculum sapere vult fortunæ temeritas. venenum est; tantâ siquidem pernicitate vitalia corripit, ut dissecto eorum, qui opio potionati sunt corpore, cordi adhæsisse compertum sit. Certè opij injuriâ multi lugent, plures iniquâ vivendi conditione, oculorum, aurium, memoriæ, mentis denique usu destituti, miseram vitam ducunt. pueris, senibus aut quo quo modo debilitatis exhiberi sine scelere non potest; quòd naturalis vitalísque spiritus pestifero narcoticorum medicamentorum afflatu extinguitur; quò fit ut spirituum vigore privata natura exuatur quidlibet moliendi potestate, corpúsque effœtum febris dolorísve materiam nequeat evincere.

Non ergo ineunte febre continuâ, unà sævo dolore ventris, opij usus phlebotomiæ præferendus.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus de Laval. *M. Io. Baptista de Revelois.* *M. Guillelmus Petit.*
M. Dionysius Dodart. *M. Fabianus Perreau.* *M. Rolandus Merlet.*
M. Dionysius Puylon. *M. Edmundus Gharrier.* *M. Stephanus le Gagneur.*

Proponebat Lutetiæ MATTHÆVS THVILLIER, Ambianus, A. R. S. H. M. DC. LXV.